

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!

Im Zusammenhang mit dem Lupercalienfest am 15. Februar wird der Mythos der römischen Zwillinge dargestellt:

Forsitan et quaeras cur sit locus ille Lupercal,
 quaeve diem tali nomine causa notet.
 Silvia Vestalis caelestia semina partu
 ediderat, patruo regna tenente suo;
 is iubet auferri parvos et in amne necari: 385
 quid facis? ex istis Romulus alter erit.
 iussa recusantes peragunt lacrimosa ministri
 (flent tamen) et geminos in loca sola ferunt.
 Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in undis
 reddidit, hibernis forte tumebat aquis: 390
 hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
 quaque iacent valles, Maxime Circe, tuae.
 huc ubi venerunt (neque enim procedere possunt
 longius), ex illis unus et alter ait:
 'at quam sunt similes! at quam formosus uterque! 395
 plus tamen ex illis iste vigoris habet.
 si genus arguitur voltu, nisi fallit imago,
 nescioquem in vobis suspicor esse deum.
 at si quis vestrae deus esset originis auctor,
 in tam praecipiti tempore ferret opem: 400
 ferret opem certe, si non ope, mater, egeret,
 quae facta est uno mater et orba die.
 nata simul, moritura simul, simul ite sub undas
 corpora.' desierat, deposuitque sinu.
 vagierunt ambo pariter: sensisse putares; 405
 hi redeunt udis in sua tecta genis.
 sustinet impositos summa cavus alveus unda:
 heu quantum fati parva tabella tulit!
 alveus in limo silvis adpulsus opacis
 paulatim fluvio deficiente sedet. 410
 arbor erat: remanent vestigia, quaeque vocatur
 Rumina nunc ficus Romula ficus erat.
 venit ad expositos, mirum, lupa feta gemellos:
 quis credat pueris non nocuisse feram?
 non nocuisse parum est, prodest quoque. quos lupa nutrit, 415
 perdere cognatae sustinere manus.
 constitit et cauda teneris blanditur alumnis,
 et fingit lingua corpora bina sua.
 Marte satos scires: timor abfuit. ubera ducunt
 nec sibi promissi lactis aluntur ope. 420